



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. De dispensatione impedimentorum matrimonij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

trahantur) validum tamen est illius (cæteris paribus) matrimonium.

§. V.

De dispensatione impedimentorum matrimonii.

In impedimentis, jure naturali, vel divino matrimonium dirimentibus, propriè dispensare, nec Summus Pontifex potest, cum inferior non possit legem Superioris tollere; in impedimentis tamen, solo jure Ecclesiastico matrimonium dirimentibus, potest dispensare Summus Pontifex, validè quidem etiam sine justa causa, non tamen licitè sine justa causa, prout probat ratio superioritatis in lege propria dispensare potentis; ordinariè tamen sine speciali à Summo Pontifice concessa licentia, dispensare in his non potest Episcopus, nisi extraordinaria necessitas cogeret, quæ moram non pateretur, cum in tali casu non videatur sibi reservasse dispensandi potestatem Summus Pontifex. Communiter autem plures referuntur causæ, ob quas dispensari potest à Pontifice, Prima est extinctio gravis discordiæ, & gravium scandalorum evitatio. Secunda est, quando non reperitur in ea vicinia matrimonium æquale, nisi cum consanguineis, vel affinibus. Tertia est conservatio amplissimarum opum, vel illustris sanguinis in eadem familia. Quinta merito petentium, &c.



SECTIO VII.

De mutua coniugum obligatione quoad cohabitationem, alimentorum præstationem, liberorum educationem, & de obligatione conjugum ad debitum conjugale.

§. I.

An teneantur conjuges simul cohabitare, & mutuo sibi præstare alimenta, & qua sit obligatio conjugum ad alendos & educandos liberos?

Quod simul ut plurimum habitare teneantur conjuges, non tantum in eadem domo, sed eadem etiam mensa & thoro utentes, patet ex c. 1. & 2. de conjug. lepro. & ex c. 2. de conjug. si uxor teneatur sequi virum, tanquam caput familiæ, domicilium mutantem, ubi in pactis matrimonialibus aliter cautum esset, aut sine periculo gravi sequi non posset; vel certè longam peregrinationem instituentem sine magno incommodo comitari non posset, respiciendo contractum matrimonium vagari vir acciperet, ad quod uxor infirma non se obligavit, &c.

Teneatur etiam vir ordinariè uxorem, & familiam alere, quia dotis fructus ideo percipit, nisi uxor à viro sine bona culpa, aut justâ causâ discedat, aut dos promissa quidem, soluta tamen non sit. Dicitur tamen ordinariè, si enim potest